

3
3
3




1680.

- 33^{a. t.} Roth, Henricus. Balthas: De remedio recondito
adversus sententias Camerae Imperialis. 2. Saupl.
1680 & 1755
- 34^{a. t.} Roth, Henr. Balthas: De paraphernatibus uxoris
bonis. 2. Saupl.
35. Roth, Henr. Balthas: De praescriptione rerum,
quae sunt mensae facultatis.
36. Sagittarius, Caspar: Historiæ Eccardi II Marchionis
Misnæ . . .
37. Schmidt, Fr. Andreas: De officio magistratus
circa tempore pestis.
- 38^{a. t.} Schubarth, Georgius: Henricus IV. Imperator
exemplum Furbatæ reipublicæ 2. Saupl. 1727.
39. Simon, Johannes Georgius: De violatione legati
40. Stevoghtius, Philippus: De divisione ecclesiarum
et beneficiorum. Op. III.
41. Stevoghtius, Philippus: De divisione ecclesiarum
et beneficiorum. Op. II.

42. Struvius, Georgius Adamus : De jure miserabilium.
43^{a, b} Struve, Georgius Adamus : De pacto hereditatis
conservativo. 2 Exempl. 1680:1733.
44^{a, b, c} Struve, Georgius Adamus : De furibus a poena
laquei immunitibus.
45. Struve, Georgius Adamus : De Fideiis
46. Struve, Georgius Adamus : De reliquis





Pub. 12. num. 31.

28. 7

1680, 37

DE
OFFICIO MA-
GISTRATUS
CIRCA
TEMPORA PESTIS

DISSERTATIO POLITICA

Quam

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ
in Alma Salana

Benevolo Indultu,

PRÆSIDE

M. JO. ANDREA Schmidt/

Facult. Philos. Adjuncto.

Ad diem Octobr. A.O.R. M. DC. LXXX.
publicè ventilandam
proponit



HEN- FRIDERICUS POSNER

Geranus, LL. Studiosus.

J E N Æ, Literis WERTHERIANIS.

1381

835



52

OFFICIO MA

GISTRATIS

CIRCA

TEMPORA

DISSEPTATIO

Amplissimi et Reverentissimi

Reverendissimi

PARADE

M. JO. ANDREA

Facult. Philol. A. d. d. n. c. o.

Ad hunc

HENRICH FRIDRICH

WERTHMEISTER

Σὺν Θεῷ παλάμη!

§. 1.



Ix redonata est Patriæ Germaniæ tot lacrymis & suspiriis exorata hæcenus Irene: En novus stat Hannibal ante portas. Infensissimus scilicet Humani Generis Hostis, Morbus ille Epidemicus, funesto heu Fato ex Oriente ad nos grassatus, non modo Imperialem Austria, & Regiam Bohemiæ, Electoralemque Saxoniam sedem telis suis veneficis adortus & maximam partem depopulatus est, sed & superiori mense Misniæ Metropolim adgressus, indiesque latius serpere videtur, nisi nos clementius Astrum ἀπὸ μηχανῆς respiciat, & adjutum eat.

§. 2. Cum itaque Magistratus Politici Officium πρώτως in cura bonarum legum, & ἀπὸ τέρως quoque circa sanitatem ac fortunam civium suorum occupatum, & post Justitiam nihil bona valetudine melius sit & antiquius, docente Philosopho nostro lib. 1. Ethic. c. 8. Idcirco omnes benè constitutæ Reipublicæ Proceres meritò totis excubant viribus, quò irruenti huic hosti salutaribus remediis obviam eatur, & civitas ab interitu conservetur. Atque mœstum hoc & funestum argumentum nostræ quoque Cathedræ materiem de Officio Magistratus circa tempora pestis suppeditabit. Quod dum periclitamur, propitium nobis Cœleste Numen, & benevolum pollicemur ac precamur Lectorem.

§. 3. Ubi dividia non erit, paucula de Peste in genere saltem recensuisse, non nostra fecisse. Vocabulum Pestis autem, quæ alias Epidemia, Pestilentia, & Lucretio Lib. 6. de R. N. Pestilientia, & Italis Puzzor di peste dicitur, homonymice, veī quasi per antonomasiam pro omni illo, quod homines pestumdat & quasi prosternit, usurpatur. Taubmann. in Commēt. Plautino Schol. act. 2. scen. 3. cap. 5. Sic Orator Romanus Catilinam Pestem Civitatis & Romanæ gentis: Sic Vitia pestem animorum vocat, & Virgil. 4. Aneid. de Polyphemo:

... DI talem averte Pestem.

§. 4. Definitur à JC. Franc. Ripa de Privilegg. causa Pestis in præludiis n. 7. Morbus à nutrimentorum vel aëris procedens in-

A

fe.

fectione: Quæ definitio autem tanquam imperfecta vapulat *Pan-
to Zachie in quæstion. Medico-Legal. lib. 3. tit. 3. qu. 1. n. 24.* A Me-
dicis variè describitur, è quibus lubet addere, quam ex Scholâ
Hermeticorum Philosophorum & Medicorum adducit *Andr.
Schilling. in Loimographia part. 1. cap. 2.* quod sit Morbus Australis,
igneus & contagiosus, qui venenato suo vapore seu Spiritu Mer-
curiali, Arsenicali aut Napellino corporis meatus subintrans, ci-
tissimè omnium Spirituum principalia subjecta, Cor scilicet, cere-
brum & caput occupat, illaque malignitate sua inficit, corrumpit,
dissolvit, & tandem Sulphuris accensi adminiculo, Sat sub auri-
bus, alis & inguinibus coagulando, varia postematum genera, ut
sunt Bubones & Carbunculi, protrudit. :

§. 5. Symptomata ejusdem eleganter describit *Musa Na-
sonis: l. 7. metam.*

*Viscera torrentur primò, flammisq; fatiscunt s
Indicium rubor est, & ductus anhelitus igni,
Aspera lingua tumet, tepidisq; arentia ventis
Ora patent, aureq; graves captantur biatu.
Non stratum, non ulla pati velamina possunt,
Dura sed in terra ponunt præcordia, nec sit
Corpus humo gelidum, sed humus de corpore fervet.*

§. 6. Inter varias ejusdem causas quas Medici, Physici &
Astrologi longo ordine recensent, Astralis quoque & inimica Pla-
netarum conjunctio reliquorumque siderum malefici aspectus ab
ipsis referuntur, & ex longo seculorum tractu observarunt Astro-
logi, quod inprimis combinatio ♃ & ♄ ut & ♄ & ♃. (quorum al-
ter malignos in visceribus terræ fumos colligat, alter verò illos in
aërem ciat & producat) immanissimam pestem produxerit, & An-
no Christi 1335. dimidiam fere mortalium partem peste peremerit.
Et talem quoque conjunctionem ♄ & ♃ die 10. Augusti præter-
lapsi anni 1678. contigisse & 30. Aug. hujus anni rediisse novimus,
quam indubitatam pestis Matrem ominati sunt Astrologi. Alii
ex Cometarum & lampadum ardentium nunquam non infesta ap-
paritione, ut & deliquiis ☉ & ☽ inprimis verò hujus in Signis ♎
& ♏ (qualem etiam d. 15. April. superioris anni contigisse memi-
nimus) lucem pestiferam augurantur. De quibus Secretioris Na-
tura

tura Miraculum *Athan. Kircherus in Scrutin. Physico-Medico con- tag. luis sect. 1. §. 3. & in Exstat. cap. 5. §. 3. prolixè videri potest. Me- rentur etiam conferri Origanus Introd. in Ephem. part. 3. cap. 8. p. 517. Angelus Sala tr. de peste p. 3. seq. Flammin. Gasto Nobilis tr. de peste sect. 1. §. 6. seqq. De his tamen quid sentiat Excell. Dn. Stur- mius vide sis in dissert. de siderum influentia §. 7. p. 17. & Diemor- broek de peste.*

§. 7. Nos uti causis hisce secundis effectus suos non omni- no negamus, nec tamen nostræ disquisitionis esse volumus: Ita pietas nostra Christiana nos ad Superius Numen, & ipsum Side- rum Motorem amandat. Divina scilicet Nemesis, quam foedissi- mis peccatis nostris laceessimus, foedissimam hancce pœnam ju- stissimo Zelo nobis immittit. Quod non solum clarissimis dictis Levitic. 26. vers. 16. & 25. Numer. 14. vers. 12. Deuteron. 28. vers. 59. Jerem. 14. 29. & 34. Ezech. 14. & 23. aliisque innumeris: sed & di- versis exemplis, puta Ægyptiorum Exod. 9. Davidis 2. Samuel. 24. & populi Israëlitiçi Numer. 25. è Sacro Codice Theologi probant.

§. 8. Quod vel saniores etiam Ethnici agnoverunt. Ipse Medicorum Princeps *Hippocrates lib. 1. αἰτιατικῶν Sect. 1.* adse- rit, huic morbo inesse τὸ θεῖον καὶ ὑπερφυσικόν τι. Et Vatum Græ- corum Parens *Homerus lib. 1. Iliad.* refert, quod cum in bello Tro- jano Chryseis Sacerdotis filia ab Agamemnone rapta ac vi stupra- ta fuerit, Apollo (qui idem θεὸς λόγιος & dictus) Græcorum exer- citum, ob tantum patratum facinus, horribili peste pessumdede- rit. Quibus adde, quæ habet *Plinius Secundus lib. 7. Histor. Nat. & Plutarchus in Vita Romuli.*

§. 9. Eaque propter Magistratus Christiani, ad cujus Offi- cia nunc accedimus, palmaria cura esto, ut I. Cives suos in con- cionibus publicis ad seriam agnitionem, contritionem, ac depre- cationem peccatorum suorum exhortetur, eaque fini, in primis ille, penes quem τὸ κύριον est, & Jus circa Sacra certos Dies ac Ho- ras Pœnitentiales, Jejunia ac preces publicas instituant. Quem- admodum Deus ipse populo suo Judaico ejusmodi Pœnitentiam publicam, quod Festum Expiationis vocant, quotannis mense Tis- ri Levit. 16. vers. 30. imperavit, cujus processum *Excellent. noster DN. Grischmuth Dissert. de Hirco Emissario th. 9.* describit.

§. 10. Scilicet Pestis in Sacro Codice *Manus & Sagitta Dei:*

A 2

à JCrts

835



à Jctis autem *Bellum DEI*, & cui vires humanae resistere nequeunt, non incongruè dicitur, ut ex *Bart. Panormitano* & aliis docet *Ripa* supra c. 1, n. 8. & *B. Carpzov. lib. 6. Resp. 105.* Adeoque Hosti huic longè aliis armis occurrendum, quæ sunt Preces & Lacrymæ, ut ait *Augustinus*, quibus iratum in Coelis Numen placatur, nobisque Divinum auxilium promittitur 2. *Chron. 7.* exemplo *Hiskia 2. Reg. 20.* & *Davidis 2. Samuel. 24.* Aurea *Savonarola* Practica hæc est; ut corpora munda præserventur, ita fac, ut anima primò mundetur, & sic Deus Misericors te ab ipsa Peste præservabit. Atque hoc Pietatis officio laudabili exemplo defuncti sunt Serenissimi nostrarum Athenarum Nutritores, nec minus & Illustrissimi Patriæ meæ Toparchæ. Nec alienos ab hoc officio fuisse legimus Romanos rerum Dominos, utpote qui pestilentia causa sæpissime per compita tota urbe supplicationes instituisse leguntur *Liv. 27, 25. & lib. 5. cap. 13.* digna occurrunt verba, quæ nostris moribus, mutatis tamen mutandis, objiciantur: Cum enim nec causa nec finis hujus mali inveniretur, libri Sybillini ex Scto aditi sunt. Duumviri sacris faciundis, lectisternio tunc primum in urbe Romana facto, per dies octo Apollinem, Latonamque & Dianam, Herculem, Mercurium atque Neptunum, tribus quam amplissime tum apparari poterat, stratis lectis placavere. Privatim quoque id sacrum celebratum est. Tota urbe patentibus januis, promiscuoque usu rerum omnium in propatulo posito, notos ignotosque passim advenas in hospitium ductos ferunt, & cum inimicis quoque benigne ac comiter sermones habitos, jurgiis ac litibus temperatum: vinctis quoque dempta in eos dies vincula.

§. II. Cum porro Magistratus tempore pestis duplex hominum genus sibi concreditum habeat, alterum prospera adhuc valetudine utentium, alterum vero adversa laborantium, & horum & illorum rationem habere debet, præcipue quod curam animarum attinet. Est enim Magistratui potestas summa non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium collata, quod his demum temporibus elucet, si curam animarum utriusque partis diligenter in se suscipiat. Hinc quia totius vel saltim majoris partis majorem etiam curam gerit Princeps, consultius judicatur Ordinarios Ecclesiæ Ministros huic muneri & oneri subducere

re, & II. his certos quosdam Pastores, quos *Pestilentarios* vocare
amant, adjungere, partim quia illi laboribus his extraordinariis
non sufficiunt, partim etiam ne auditores integra valetudine ad-
huc fruente intempestivo quodam metu terreantur & sic eodem
malo corripantur: id enim Medicorum & Physicorum Scholæ pas-
sim docent, quod imaginatio tempore pestis maxima quæq; mala
inducere possit. Eundemque ob finem Serenissimus noster Princeps
Saxo-Vinariensis in nupera sua Ordinatione Pestilent. separatim
quendam Cantorem ac Scholares Eleemosynarios in funeratione
peste defunctorum adhibendos esse, præ aliis prudentissimè san-
civit.

II.

§. 12. Sed pergimus ad Officia nostri Magistratus, & qui-
dem primò circa *περοφύλαξιν*. Siquidem Aër potissimum Pestis
est seminarium, unde venenum in corpora nostra per halitum
& Spiritum, vel per poros cutis facillimè attrahitur, *Schilling.*
in Loimogr. p. 2. c. 3. ille verò sordibus ac fœtore civitatis facile
corrumperet & infici solet: & ut *Ulpianus* notanter ait: immunditiæ
cælum pestilens minantur: Ideoque cuius Magistratui III. in-
cumbit, ut non solum plateæ imprimis augustiores illæ & strata
publica, sed etiam ædes privatae ab omni colluvie, sorde, fimo
maximè suillo ac anserino alioque fœtore & quidem nocturno
tempore purgentur, nec cadavera animantium in publicum pro-
jiciantur, sed in remotiore loco extra urbem abscondantur, nec
urinæ everricula aliæve res fœtidæ in publicum effundantur: quod
officium olim ad *Ediles Cures* spectavit.

III.

§. 13. Et si forte vitium in aëre contractum deprehenda-
tur à Medicis aut Physicis, (utpote quibus modi aërem exploran-
di non incogniti sunt) tunc ignis in locis publicis & ipsis etiam
in templis suffumigia ex junipero, quercu, pino, mastice, myr-
ra &c. accendantur, & cujusvis focus igne perenni luceat. *Auge-
nius lib. 2. de Peste cap. 3.* Illi enim experientia & ratione freti
norunt ignem interdum fuisse præsentissimum contra hæc mala
remedium. Sic Hippocrates Athenis tempore pestis silvas
adjacentes incendere jussit. Et hoc modo Acron Agrigentinus
& Empedocles pestem in Sicilia depulerunt, referente *Plinio lib.*

A 3

7. c.

835



II

7. c. 27. Ex *Suidas* in voce *ἰατρίη*, qui Medicus Ægyptius erat, ὅς λοιμῶν ἐπιδημίας ἔσβασεν. Ignis enim semper attrahit aërem, & venenum dissipat, ac γοσηγὲ μιάσματα consumit. *Schilling. cap. 3.*

§. 14. Et quoniam iisdem docentibus canes peste quamprimum tentari dicuntur. Vid. *Cæl. Rhodig. lib. 17. Lect. Antiqu. c. 8.* & *Ovidius* pestem Æginæ molestam descripturus, sic exorditur:

Strage Canum prima.

Sed & quia isti, ut & feles ac sues hinc inde discursitant & excrementa, etiam infectorum lambunt, ideoque Loimographi svadent, ut Canes ac Feles vel occidantur, vel cum suis ejiciantur urbibus.

IV,

§. 15. Nec minorem sollicitudinem IV. Fontes ac Putei publici desiderant. Sicut enim illi potissimum primævæ Societatis Civilis originem vel certè occasionem dederunt: Nam in primordio rerum Patres familias & nostri quoque Germani, referente *Tacito* de illorum moribus, prima sua habitacula circa fontes exstruxerunt, & abinde non solum Pagi (quod à Græco πηγή, hoc est, fonte descendit) orti, sed & nonnullæ celebres urbes denominatæ sunt: Et suave est, quod de Galliæ delicio, Fontainebleau, memorat *Golniz in Itiner. p. 150.* Ita illi fontes malè curati nonnunquam exitiosam Reipubl. cladem attulerunt. Triste exemplum ex Naucloero allegat *Jo. Evvichius de offic. Magistr. cap. 10.* quod ex putrido & infecto quodam puteo pestis immanissima exorta fuerit. Eapropter Magistratus sedulo curet, ne publicus usus aquarum polluat: ne sordes iis ingerantur, ne vasa immunda, imprimis quibus infecti usi fuerunt, in his abluantur; ne putridis & mortuis piscibus foedentur, nec aliis rebus impuris turbentur, nec Magicis artibus inquinentur. Ut & in fluminibus ac rivis publicis, urbem proximè adlambentibus, nec cannabis, linum, pelles & ejusmodi res foetidæ macerentur. Nobilissimum enim hoc est Elementum, & quo vita humana carere nequit, & meritò curam majorem requirit. *Phil. And. Oldenburger in Tract. de Element. tit. 3. n. 1.*

§. 16. Et cum contagium hoc à contactu originem suam
tana

ram Grammaticam, quam Physicam habeat, & maligna ejus qualitas facillimè de loco ad locum, & de subjecto in subjectum transeat, ac ab infecto corpore per peculiare *via* communi-
cetur. Sæpè alleg. *Schilling. p. r. c. 7.* Et pestilens morbus unus ex omnibus afficiat eos, qui hoc laborantes accedunt, inquit Philo-
sopho nostro *1. Probl. 7.* Ideoque Magistratus officium V. requirit, ut hoc tempore Balneis publicis interdicit. Quam-
vis enim illa ad sanitatem & munditiem introducta, & apud Ro-
manos ac Orientales fuerint frequentissima *Rosin. lib. 1. Antiqu.*
14. usque ad eò, ut injuriarum actione conveniri possit, qui ab
eorundem usu quem arcere voluerit. Quia tamen illis promiscuè
& corpora sæpè impura ac putrida utuntur, adeoque resolutis
tum poris contagium citius attrahitur. Ideoque merito his
abstinendum.

§. 17. Quemadmodum & choreæ publicæ, Comoediæ,
Digladiationes & alia exercitia violenta hoc tempore quàm ma-
ximè nociva, prohibeantur. Nec minus nundinæ solennes vel
omnino cessent, vel certè illæ, quæ dividentibus pecoribus ac
imprimis suis destinatæ sunt, extra moenia in loco separato
instituantur.

§. 18. VI. Eandem ob causam, quia scilicet pestilens illa
qualitas plerumque fugientibus se comitem præbet, Magistratus
caveat, ne advenas ex locis notoriè infectis, (quæ hodie *Banni-*
fata dicuntur) vel etiam ignotis aut suspectis saltem, & de quor-
um sanitate aut contagio dubitatur adhuc: nec Judæos, Agyr-
tas, aliosve sublestæ fidei intromittat, sed eum in finem por-
tas civitatis suæ partim omnino claudat, vel certè excubiis bene
muniat.

§. 19. Civibus autem & incolis suis Magistratus severa
lege & sub poena exterminii, vel sub præclusionione Juris postliminii
interdicat, ne ad Loca suspecta excurrant, illorum nundinis ne
interfint, aut merces abinde apportent: multo minus res ex here-
ditate adquisitas adferant.

§. 20. Et generatim omnibus Viatoribus, quamvis infe-
ctos esse non constet, hospitium & transitus denegetur, nisi Lite-
ras *Compassus* fide dignas exhibuerint: quæ alias literæ, tesseræ
ac

ac diplomata sanitatis, Ripæ autem Bulletina dicuntur: Item *Sede-Brieffe*. Inter earundem qualitates refertur, ut (1) à Magistratu publico concessæ, ejusque Sigillo roboratæ sint, & (2) ab ejusmodi loco processerint, qui neque infectus, neque suspectus fuerit: (3) ut legitimum tempus viatori ad iter absolvendum, insimulque (4) quod Silesii Ordines benè notant, descriptionem personæ, qua nomen, staturam, vestitum, vehicula, merces &c. contineant: Et (5) si vetustiores, quam viator probabiliter iter suum emetiri potuerit, fuerint, plane non attendantur: In illis (6) si remotiora loca fuerint, specificè exprimatur, ubi hoc l. illo die transferint vel pernoctati sint: Atque si (7) fortè literæ illæ falsæ deprehensæ, falsarius extraordinaria pœna puniatur; si dubiæ aut suspectæ, aut viator ignotus fuerit, ille juramento se purget, quod nec ex infecto loco deveniat, nec intra menstruum tempus ibi commoratus fuerit.

§. 21. Quod si vero cives nostri è peregrinis iisque suspectis locis in patriam reverti, vel alii, quibuscum necessaria nobis intercedunt commercia, nobiscum commorari velint, illi in remotiore loco ac finibus nostris tamdiu subsistant, ac garantanam, quæ Italis Quarantana & Gallis Quarantaine dicitur, præstent, usque dum de eorum sanitate aut contagio fides facta fuerit. Illud spacium temporis expressè quidem non determinatur, de consuetudine tamen tempus 40. dierum, teste *Septalio lib. 4. de Peste cap. 6.* & ex præscripto Vinariensi sex septimanarum desideratur. Et quamvis idem Septalinus terminum hunc justo longiorem putet, præstat tamen nimis esse cautum, quam temerarium *Naurath. de vita & morte theor. 31.* Exemplum recentissimum est in Legato Polonico Principe Rzevilio, quem Aula Romana non admisit prius, quam per aliquot menses in finibus Italiæ subsisterit. Et vide apud *Goldastum in Reichs-Handlung tom. 1. fol. 243.* quam eo nomine de Principe Sabaudia conquesti fuerint Genevates.

§. 22. Hic quæstio movetur, An, si advenæ ejusmodi suspecti ab excubiatoribus portarum aliter arceri nequeant, illi vi & armis propelli possint, etiam ad occisionem usque? Et ita communiter statui, & infectos, ne alios inficiant & interficiant, vi posse & debere expelli, ex *Alexandro* aliisque docet *P. Zachia quest.*

Me-

Medico-Legali 2. lib. 3. tit. 3. Et fama comperimus, Serenissimum Electorem Bavariæ, ut & Marchionem Brandenburgicum in finibus suis ad deterrendos advenas patibula erexisse, & id supplicii genus quoque in temerarios statuisse. Huc quadrare videtur factum illud *Plauti in Amphitruone Act. 2. Scena 2.*

A. Apage te à me. S. quid est negotii? A. Pests te tenet.

VII.

JIIIV

IX.

S. 24. Et quoniam VII. Seculum hoc otiosorum ac malæ frugis hominum quàm feracissimum est, qui laborum pertæsi, turpi otio indulgent, & instar fucorum ignavorum circa alvearia volitantium, in aliorum domos perreptant, stipemque importunè & impudenter extorquent. *Timpler. lib. 1. Polit. c. 5. qv. 16.* Quales sunt validi illi mendicantes, qui laceris induti vestibus, clumbes, ulcerosos, claudos alioque corporis vitio affectos sese simulant: Milites profugi, gartende Knechte / und Herren loses Gesinde/ qui prædæ dediti, nunquam non aliorum fortunæ inhiarunt, & stipendia, quæ in militia mereri nolunt, à rusticis sollicitant: Vel qui artem quandam Mechanicam profitentes, obtentu peregrinationis ad certos annos oberrant, corpore sæpè validi, sed artium ignari, qui fabros & architectos (sed revera nequitiarum) item sutores & sartores (sed sutelarum ac tegumentorum turpis otii) sese jactitant: Et, quod cum dedecore Rei nostræ literariæ dolendum, sæpè etiam annosi ac pannosi Scholares discursitant, qui non amore scientiæ exules facti, sed literarum rædio aut servitiorum impatientia consuetis quibusdam formulis hinc inde vagantur. Parvam etiam captivitatem quandam Turcicam mentientes ferreos secum compedes circumferunt. Et cum inutilia hæc terræ pondera nunquam non varia Reipubl. detrimenta attulerint *Lips. lib. 4. cap. 5. qv. 16.* Mens enim inertæ dedita, haud sanè quicquid boni peperit. Et nihil tam perniciosum Reip. quam otiosorum ac tenuium istorum hominum multitudo, qui in everfione Reip. omnem fortunarum suarum spem posuere, ut ait *Bodin. lib. 5. de Republ. c. 2.* Propterea tam Imperialibus, quam diversis Provincialibus sanctionibus cautum est, quibus modis ejusmodi otiosis mendicis obviam eatur: Et inprimis periculoso hoc infectionis tempore Magistratus officium est, ur-

B

bem

835



bem à fece hac pernitiōsa purgare, & peregrinos quidem planè non intromittere, dignis verò & miserabilibus extra portam civitatis ex Fisco Pauperum factam quandam stipem porrigere, nequaquam verò, ut ipsi ostiatim colligant, concedere.

§. 24. Impium verò & vagum illud genus hominum, quos Cingaros seu Zigenos vocant, & *Cranzius in Saxon. lib. 11. c. 2. A.C. 1417.* in Germaniam primùm advenisse memorat, ut pernitiōsa catharmata penitus ejicienda vel armis profuganda esse, communis Politicorum Schola & publicæ Constitutiones jubent.

VIII.

§. 25. Porro VIII. munia Magistratus circa Collegia Opificum ac Mercatorum hoc tempore quoque sollicitiora sunt, & quidem *Pistoribus* injungant, ut sibi de sufficienti frumento ac farina tempestivè prospiciant, ne si forte accessus annonæ à vicinis prohibeatur, pauperes de penuria conqueri habeant: & frumentum antea quam illud molunt, benè abluant, farinam sufficienti sale præparent, nec panes recenter coctos & ab igne adhuc tepentes, qui citissimè venena attrahunt, divendant: *Lanionibus* verò, ut ne carnes putridas ac foetentes, nec suillas venum exponant, ac pecora mactanda è loco suspecto ne adducant, ea in flumine prius abluant, & extra pomeria urbis mactent, ne excrementorum & cruoris foetore aër corrumpatur. *Bornitius de Rer. Sufficent. Tr. 2. cap. 11. Capsariis*, ut sufficientem asserum quantitatem ad sarcophagos, ne defunctorum cadavera ultra diem insepulta maneant, sibi comparent: *Sartoribus*, ne infecta vestimenta, quæ fomitem ac seminium morbi sæpe diu retinent, vel dissuant, vel aliis vendant. *Pellionibus, cerdonibus* & aliis, qui pelles accommodant, ut & *Saporariis* ac *Sebaceis* artificibus, ut hanc artem suam non nisi in extremis civitatis partibus exercent. *Camill. Borellus de Magistratum Edictis lib. 3. c. 12. Cauponibus*, ut ne advenas promiscuè recipiant, nec immodicis commestationibus & symposiis indulgeant, neque vinum adustum (cujus abusum detestatur *Gvarinon lib. 4. c. 33. von Greuel des Brandeweins.*) porrigant, quippe hoc venenum maximè acuit & auget.

§. 26. *Mercatoribus* verò interdicendum, ne merces, quæ ex lino, cannabe, sparto, cotuno, lana, bombyce, plumis, pilis

lis & id genus aliis constant, pestemque ex calculo omnium Loimographorum citius recipiunt, & diutius retinent, vel etiam pecora è locis suspectis invehant; iis verò, qui præsertim monopolis gaudent, injungendum, ut necessariis urbem instruant. Et quoniam præcipuè Sole & Sale homo vivere nequit, ut Naturæ ille Secretarius *Plinius lib. 31. Nat. Hist. c. 9.* refert, & condimentorum condimentum maximè à putredine conservat, ideoque maturè de sufficiente ejusdem copia prospiciendum: Et generatim cuivis civi, ut necessario victu, quem trimestre spacium desiderat, instructus sit, ne fames quoque pestem comitetur, & civitas non una morte perire cogatur.

§. 27. Et quemadmodum IX. *Medicorum* in Republ. nunquam non summa fuit utilitas ac necessitas, ut Augustus, cum peregrinos omnes urbe ejiceret, solos reservaverit Medicos & Præceptores, teste *Sueton: in ejus vita*: Et Moralium Sacrorum Magister *Siracides cap. 38.* ait: Honora Medicum, propter necessitatem enim creavit illum Altissimus: ita vel inprimis hoc tempore civitas ope Medicorum carere nequit, & ob id Æsculapio Roma missam esse supplicationem, ut ex Epidaurò veniat, & Romam à peste liberet, refert *Livius lib. 10. c. 47. & epit. l. 11.* ac Hippocrates, Medicorum Protopatriarcha ob id tantam famæ ac laudis consecutus est adorem, quod plurima oppida Græciæ provida sua cura ab immani peste liberaverit, ipsique pro hoc beneficio Athenis Honores Herculis decreti, ejusque Manibus Cõi singulis annis parentatum fuit, ut ex *Galieno refert Arniseus Doct. Polit. c. 12.* imò ceu in ipsis Hippocratis epistolis id legi potest. Ideoque Magistratus maturè de auxilio hoc Medico sollicitus esto, sed & tales eligito, de quorum probitate morum & artis peritia constat, non Medicastros illos, qui periculis nostris demum experimenta per mortes agunt, & gibbosa faciunt cæmeteria: Neq; enim ex solis commentariis quis ad medendum idoneus fieri potest, ut notanter ait Philosophorum Coryphæus 10. *Ethic. ult.* Sed quos longus usus & experientia commendat, & Magistratus Collegio Medico (cujus statuta recenset *Mart. Naurath. Tr. de vita & morte additam. ad theorem. 40.*) dignos judicat, sacramentoque sibi obstringat.

IX.

B 2

§. 28.

835



§. 28. Atque hi, si fortè contagii periculum gliscere occi-
piat, vel ægrotus de peste suspectus sit, naturam ac qualitatem
morbi dijudicent: & si pestilentem qualitatem deprehenderint,
id Magistratui maturè denuncient, quo hic tempestivis aliis re-
mediis, ne lues ulterius serpat, præcavere possit: Ipse vero Medi-
cus pro deprehensa morbi qualitate ejusdemque symptomatibus
(neque enim Proteus tot induit formas, quam hic hostis nostræ
vitæ accidentia. *Andr. Schilling. p. 3. c. 1.*) certa consilia tam
περοφυλακτικά quam *θεραπευτικά* suppeditet, ac salutaria medi-
camenta in pharmacopoliis præparanda præscribat, tam pro lau-
tioris, quam paupertinæ sortis hominibus: Eumque in finem Re-
gimen quoddam Medicum & Catalogum usualium medicamen-
torum, cum eorundem Taxa publicis typis ac usibus describat.

§. 29. Si plures ac Numerarii in civitate fuerint Medici,
consultum est, ut Magistratus ex illorum Collegio experientio-
rem eligat, qui solus hac lue infectos visitet & medeatur, sano-
rum verò cura ac consortio, ne & hi tristi imaginatione & metu
terreantur, abstineat: Vel Magistratus supernumerarium huic
officio destinet: aut si fortè unicus in urbe fuerit & Ordinarius,
de certò eidem substituendo in casum mortis sollicitam curam
gerat: Nam nec ipsi Medici ab hoc hoste immunes sunt, sed ut
Appollinis Olor *Ἐραυττῆς* Ovidius (ita dictus *Barthio*) canit:

--- --- *Inque ipsos seva Medentes*
Erumpit clades, obsuntque Autoribus Artes.
Quo propiorque quis est, servitque fidelius agro,
In partem lethi citius venit, atque salutis
Spes abit. conf. Liv. l. 25. c. 26.

§. 30. Et quoniam *Pharmacopola* instrumenta quasi, &
manus altera Medicorum sunt, ipsorumque Medicamenta & Re-
cepta præparare tenentur: Et si in ullo mortalium vitæ probitas
& peritia, certè in *Pharmacopola* requiritur: ejusque in manibus
morbus & sanitas, vita & mors consistit, atque illi, cum mala
mens est, vel nescia recti, libera patet nocendi & necandi potestas,
ut ex *Renodæo* Gallorum Medico refert *Klockius lib. 2. de Æmr. cap.*
15. n. 10. ibique simul leges *Pharmacopæorum* prolixè describit: Id-
circo Magistratus Politicus X, tam *Pharmacopæos*, quàm eorun-
dem

X.

dem Provisores ac ministros sacramentali sibi fide obstringat, eorumque officinas pharmaceuticas, ascito Medico, lustret, & si fortè medicamina senio exoleta, emortua, muscosa, putrida & inefficacia (nam & illa suas habent ætates, quamdiu scil. duratura sint. *P. Zachia lib. 6. tit. 1. qu. 10. n. 7.*) adulterata, vel mangore depravata, quibus sanitas periclitatur magis, quàm resarcitur, deprehendat, ea, ne sub specie & pretio bonorum divendat, rejiciat, contra vero ut recentia, integra, & imprimis acida poma Citronia, Bezoardica, alexipharmaca, theriacum & alia antidota, quæ à Medicis commendari solent, sufficienti apparatu procurentur, severo mandato ipsis injungat: ut & officinæ illorum noctesque diesque pateant.

§. 31. Cumque hoc anxio rerum statu peste infecti, ex ædibus suis sæpè depulsi, non habeant, unde medicamenta exsolvere & redimere queant, Humanitatis officia verò non admittant, ut egeni in extremo hoc vitæ periculo, omni auxilio destituantur: Ideoque Pharmacopola iisdem petentibus necessaria medicamenta ministret & porrigat, eaque fideliter annotet: Jura autem providerunt, ut ex eorum substantia vel hereditate pretium numeretur, & non secus ac aliæ expensæ funebres speciali quodam prælationis jure gaudeat, ac vulgo æri alieno anteferatur, quidquid in curationem defuncti erogatum est, quod ipsa etiam naturalis æquitas postulare videtur.

§. 32. Nec minus & *Chirurgorum* officium hoc tempore quàm maximè est necessarium: *Chirurgia enim Medicinæ affecla* dicitur. Cum verò pauci nujus artis reperiantur, qui præter tonstrinam morbi qualitatem methodumque curandi norunt: Ideoque Magistratus XI. certum ac peritum ex Collegio Chirurgorum, qui Pestilentialis vocari consuevit, eligat, illumque certo constituto salario, juratorio vinculo adstringat, ut hac læ infectos tam in ædibus illorum, quàm in Nosocomiis visitet, ipsis medicamenta à Medicis ordinata propinet, & ab horum consiliis maximè in casu difficiliore dependeat, nec sine eorum præscitu, quod hoc morbo Medici periculosissimum judicant, sanguinem detrahat, *vide P. Zachia lib. 6. tit. 1. qu. 9. & Paræus de Peste cap. 24.* qui refert, quod A. C. 1565. omnes in Gallia, qui tempore pestis venæ sectione usi,

B 3

mor-

835



morte perempti sint. Insuper instrumenta sua pura conservent. Et memini in patria mea Collegium Chirurgicum vigore articulo-
rum suorum (ihrer Zünungs-Brieffe) teneri, quendam ex Ordine suo his officiis pestilentialibus destinare, qui deinde autoritate publica confirmatur.

XII.

§. 33. Ad hanc Classem quoque meritò referuntur XII. *Obstetrices*, quæ plerumque publica mercede conducuntur, sed ne illarum ministeriò promiscuò tam sanæ, quàm infectæ puerperæ uti cogantur, atque periculum exinde generetur: Ideoque Magistratus in auxilium infectarum parturientium separatas obstetrices, sed eas probatæ artis & fidei constituat, illasque juratoria fide obstringat.

XIII.

§. 34. Atque hætenus de Prophylactico Magistratus Officio. Quod si verò hoc non obstante, pestilens hic morbus urbem irreat, & unum alterumve corripiat, tunc XIII. ille, qui vel tuberculo quodam, aliove hujus morbi evidenti signo adfectus vel infectus fuerit, id minimè nocituro silentio celet aut obvelet; sed Magistratui quam primum per alium denunciandum curet. Unusquisque enim non tam propriæ, sed & alienæ salutis satagere debet: nam quanto plures morbo hoc corripuntur, tanto gravius unicuique propriæ vitæ imminet periculum: Et facilius uni familiæ succurritur, quàm pluribus. *P. Zach. lib. 3. tit. 3. qu. 4. n. 1.* Et conscientia sua quemque monet, ne malo suo proximum quoque inficiat, aut interficiat.

§. 35. Magistratus autem ubi Hostem hunc sua intrasse mœnia certò resciverit, eidem protinus, ne tyrannide sua in plures deserviat, omnibus modis occurrat; & quia hoc casu separatio infecti à coetu adhuc sano optimum est remedium, ideoque infecti ædes statim claudat, & obsignet, ac certo infectionis signo notet, nullique de hujus familia in publicum prodire permittat, sed eundem urbe expellat.

§. 36. An verò Magistratus epidemia correptos, si in ædibus suis morari & mori maluerint, etiam invitos & inauditos domibus expellere possit? altioris videtur esse indaginis. Et obstare videtur, quod domus sua cuique tutissimum semper debeat esse refugium ac receptaculum, & quod nemo rei suæ dominio privandus,

us, vel possessione decipiendus sit: Sed communis Doctorum Schola contrarium statuit: quia publica utilitas & salus totius Civitatis suprema Lex esto: ob idque hoc necessitatis casu in contractibus aliisque civilibus actibus à LL. communibus multum receditur. Nos illud superiori Cathedræ vel Magistratus prudenti arbitrio remittimus; non possumus tamen non addere, quæ *Robert. Sanderson. de Conscient. Praelect. 10.* nervose ait: Leges civiles temporibus Reipubl. debent esse accommodæ: quotidie autem novi emergunt casus, quos Legislator ob rerum, quæ à futuro pendent, incertitudinem prævidere non potuit, multo minus certis comprehendere regulis, aut insecuturis malis obviam ire: necesse sanè est, ut Superior aliqua Lex sit, & per consequens summa in Reipubl. potestas, quæ defectum legis suppleat, vel mutata Reip. forma leges antea utiles restringat, quo ita salutis publicæ consulatur & periclitanti patriæ subveniatur. *Vide Osandr. ad Grot. lib. 1. c. 4. tit. 3. obs. 2.*

§. 37. Cum vero contra Officia Humanitatis ac Pietatis foret, ejusmodi ægrotos urbibus ac ædibus ejicere & sub Jove frigido, tam coeli injuriis, quam præsentissimo vitæ periculo exponere: Ideoque in benè ordinata Reipubl. XIV. certa Nosocomia, Hospitalia, Lazaretha ac Domunculæ (die Pesthâusser) extruuntur, necessario ligni, alioque usu instruuntur, eoque ægroti cum supellectile sua deportantur. Eumque in usum in Reformatis Politis certi Cœnobiorum redditus consecrati sunt à Principp. Germaniæ, quos ideò laudat *Everb. à Weihe in Aulico Politico reg. 216.* quamvis in hoc genere ipsi Turcæ magis, quàm Nostrates religiosiores prædicentur, quorum Xenedochia & Nosocomia ad instar Palatiorum exædificata perhibentur à *Schvyveigorn in Itiner. Lib. 2. cap. 33.*

§. 38. Atque hæc Nosocomia in citeriore ac remotiore urbis parte ad omnem evitandum metum, & si loci qualitas admitterit, ex consilio Medicorum versus Septentrionem (Aquilo enim omnem humiditatem, putredinis matrem, exsiccat, & quidquid contagiosi inquinamenti aëri adhæret, depascitur. *Plin. lib. 2. cap. 17. Aristot. 7. Polit. c. 11.*) & prope flumen exstructa & in certas cameras ac dormitoria distincta sunt, ut mares faminaeque

scor-

XIV.

835

seorsim habitare ac curari possint. Qualis domus pro recipien-
dis ægrotis in Ducali nostra Jenensi extra portam in loco, quæ *In-*
sula dicitur, laudabili exemplo exstructa est.

XV.

§. 39. Sed cum ægroti isti vel ædibus suis inclusi, vel ad
Nosocomia detrusi sibimetipsis tam de alimentis, quam de Me-
dicamentis prospicere nequeant, Magistratus XV. certas mulie-
res sumpto publico constituat, quæ illis ministrent, & victum
necessarium apportent, easque plures numero. Quippe de ha-
rum defectu, & quod plurimi infectorum inedia magis & ob ne-
glectam curam perierunt, tristi hæctenus exemplo comperti su-
mus. Nec minus & Medicus ac Chirurgus pestilentialis illis ad-
signetur, qui officio suo, de quo superius meminimus, pruden-
ti consilio defungantur. Et si fortè isti curæ suæ commissos per-
culpam & negligentiam suam perire sinant, in illos gravis poena
passim statuta est.

XVI.

XVII.

§. 40. Quodsi verò ejusmodi ægroti mortem cum vita
commutarint, Magistratus XVI. curet, ut quàm citissimè eorum
cadavera humentur neque ultra diei spatium insepulta maneant:
Et quoniam formiduloso hoc tempore consuetus alias luctus ac
luxus potius, solennesque funerationum ritus prohibendi po-
tius, quam permittendi sint, ita ut nec Opificum Collegia, qui
alias ex Lege Statutorum suorum Collegiatos humeris suis ad tu-
mulum exportare, vel comitari coguntur, hoc tempore ad offi-
cium illud obligati sint: Ideoque Magistratus certos Ministros
funerarios ac Libitinarios publica mercede conducat, qui fune-
ra efferant, terræque mandent; ne idem accidat, quod olim Romæ
contigisse legimus ap. *Liv. 25. c. 26.* postremo n. ita assuetudine
mali efferaverant animos, ut non modo non lacrymis justoque
comploratu prosequerentur mortuos, sed ne efferrent quidem,
aut sepelirent, jacerentque strata exanima corpora in conspe-
ctu similem quoque mortem expectantium; mortuique ægros
ægri validos cum metu, tum tabe ac pestifero odore corporum
conficerent.

§. 41. Ethi Ministri alias *Vespillones* (à tempore Vesper-
tino sic dicti, teste Festo) Romanis quoque usitati: Sed plerumque
saltem tenuioris fortunæ aut populo mersos homines efferebant:
Quem-

Quemadmodum de Domitiano Imperatore tam *Suetonius Lib. 12.* quam *Eutropius Lib. 7.* referunt, quod ejus funus populari Sandapila, cum ingenti dedecore per Vespillones exportatum & ignobiliter sepultum fuerit. Et sunt vel Bajuli feretrales, *νεκροφόροι*, Todenträger; vel Sandapilones, *νεκροβάται*, Barginnæ, Gallis Fossoyeurs, Todtengräber.

§. 42. Utrique ex abjecta ac tenui hominum conditione constituebantur. Illi conspicua plerumque nota, & peculiari vestimentorum genere, atque ex Ordinat. Silesiana, albis bacellis incedere solent, ut sani adhuc eorum occursum eò facilius evitare & declinare possint. Quamvis in nonnullis civitatibus ejusmodi cadavera plaustro vel lectica quadam evehi solcant, inde etiam Lecticarii dicti: eosque à Constantino Magno in Ecclesia Constantinopolitana primitus institutos fuisse memorat *Kirchmann, de Funer. lib. 2. c. 10.*

§. 43. Istis injungendum, ut (1) Cadavera nocturno tempore efferantur; quod quidem nec Romanis infrequens fuit, qui teste *Servio in lib. 11. Aeneid. Virgil.* in verbis: Rapuere faces &c. in religiosa urbe cavebant, ne aut Magistratibus, aut Sacerdotibus occurrerent, quorum oculos nolebant alieno funere violari. (2) Ut cadavera quam citissimè suæ matri concedant: quamvis & hic circumspectam prudentiam adhiberi velint Medici. Haud rarò enim contigit, ut qui fortè Apoplexia, Lethargo aut Strangulatione uteri laboraverunt, pro emortuis habiti, sed capulo illati respiraverint & revixerint. *Lemnius de occult. Nat. Mirac. lib. 2. cap. 7. conf. B. G. H. Welschius obs. med. episagm. cent. p. 67. seqq. Caspar à Reies Eys. Jucund. quest. camp. 9. 66. §. 17. pag. 892.* (3) ut peculiaribus Sandapilis, feretris aliisque id genus instrumentis sepulcralibus utantur. (4) ut, ne cadaverum evaporationes aërem magis inquinent, sepulcra aliis profundiora effodiant: (5) ut Sepulturæ infectorum Cadaverum in separato Cœmiterii loco fiant: nullumque (6) sepulcrum noctu patens relinquatur, sed quanto citius obtegatur & (7) recenti calce aspergatur atque obseratur;

§. 44. Et quoniam funesto huic ministerio plerumque homines de fece vulgi & in defectu aliorum non rarò majorum delictorum rei ad redimendam vitam mancipantur, sæpe autem con-

C

tin-

835

tingit, ut istiusmodi Vespillones prædæ ac turpi lucro inhient, ac ægrotos vel semimortuos malignis artibus & genere quodam pharmaci deleterii extingvant, eos vero postinde spolient: adeoque quos benignitas Jehovæ forsan adhuc salvare voluerit, illos crudelis hæc malignitas hominum trucidet: Eapropter Magistratus extremæ huic malitiæ occurrat, & severis pœnis in temeratores animadvertat.

XVII.

§. 45. Quod si Divina Benignitas Civitatem à pestilenti hæc lue iterum liberaverit, Magistratus XVII. meritò publica Festa Soteria & Eucharistica celebret, & DEO Liberatori pia gratæ mentis holocausta offerat; Postinde verò tam publicas, quàm privatas ædes, quæ peste infectæ fuerunt, ante semestre spacium non recludat; & si deinde reſerata fuerint, certo suffitu per omnes cameras, in primis verò illas, ubi infecti decubuerunt vel defuncti fuerunt, tranſeunte purgentur, omnis colluvies ac sordities egeratur ac cum supellectile viliori comburatur, de parietibus calx vetus abradatur, & illi novâ obducantur, aream verò cum sellis, lectis ac aliis instrumentis aceto benè abluere &c. Ut prolixè hunc purgatorii processum describunt Loimographi communiter. Vid. *Schilling. in Anhang seiner Loimograph.*

XVIII.

§. 46. Sed quoniam Magistratus XIX. supra memoratis Officiis suis absque præſentissimo pecuniario adjumento defungi nequit, pleraque autem Æraria in bellis Martialis hujus Seculi ita exhausta ac enervata sint, ut vix sufferendis ordinariis oneribus sufficiant; Ideoque Magistratus maturè de extraordinario quodam Subsidio & Fisco Pestis (*Sterbe Verlag*) sollicitus esto. Nos ista prudenti Magistratus arbitrio relinquimus, qui pro exigente necessitate, pro qualitate Civium, ratione temporis, aliisque circumstantiis Saluti publicæ consulere & suppetias ferre tenetur. Interim non improbandum putamus Civium Lipsiensium pium consilium, ubi, ut abinde comperimus, superiori mense certæ Familiæ amicabile quoddam Societatis pactum pepigere, ut ne alter alterum in fatali hæc necessitate deserat, sed omnibus consiliis & auxiliis adjutum eat: Eæque fini fiscum quendam collegerunt, ejusque administrationem ordine ambulatorio sociis demandaverunt: E cujus sumptu certæ sustentantur personæ, quæ singulis die

diebus singulorum sociorum ædes visitent, & si forte quidam in his ægre se habeant, illud Inspectori ad id constituto denuncient: hic verò sollicitam ægrotorum curam suscipiat, & per ad id conductas pararias mulieres tam victum quam medicamenta, aliaque quibus infecta domus indiget, necessaria adportari & per funiculos certis coloribus distinctos adibus immitti faciant: ipsi vero Socii singulis septimanis conveniant, & de salute Societatis, ut & si demortui fuerint, de sustentandis eorum liberis ac orphanis salutaria consilia capessant, earumque hereditatem salvam pupillis conservent, & quæ sunt alia decem articulis comprehensa Societatis hujus privatæ conclusa.

S. 47. Superforent nonnulla de Postarum conservatione, quibus tam Reipubl. ad pernosendum ejusdem Statum publicum, quam cuilibet privato quàm maximè interest: & forsan adhuc multa alia, quæ Curam Magistratus quoque sollicitant: Sed quoniam illa partim alterius sunt Cathedræ, nostrum Horizontem excedunt, partim ab aliis tacta & diducta sunt, nos jam supersedemus, & TE benignissimum in Coelis Numen, Soter unice, supplicè prece imploramus, ut quoniam multæ sunt miserationes tuæ, ut Hieropsaltes tunc cecinit, & sicuti Tuæ Hierosolymes, cum Angelus manum suam versus illam extenderet, clementissimè miseratus es, 2. Reg. ult. Ita quoque nostrum ex paterna gratia miserearis, & non modo à nobis exitialem hanc calamitatem porrò averrunces, sed & hac plaga jam pressos gratiosè liberes, & dicas

Angelo percussori: CONTINE MANUM TUAM:

SUFFICIT.

Θεῷ τῷ πανελεήμωνι Δόξα!



C 2

AD-

835

ADJECTANEA.

I.

MOrbum pestilentem nullum piscem corri-
pere, quali homines, & ex quad upedi-
bus equos, boves, & id genus al a ani-
malia adfligi constat, autor est Proto Philoso-
phus noster Aristoteles lib. 8. Histor. Anim.
cap. 19. Cui $\omega\upsilon\omicron\psi\eta\phi$ est Plinius l. 8. c. 49. At-
que inde diverbium illud emanasse videtur:
Pisce nihil sanius. Hujus rei causam varii
variā perhibent. Nonnulli, quod pisces
non respirent, nec aërem, morborum illorum
seminarium, attrahant. Alii eos respirare
quidem ajunt, sed aërem putridum ac noxi-
um, tanquam naturā suā calidiorem, ab ipsa
aquā statim retundi, adeoque venenatam
qualitatem ita corrigi. Alii adsertum ipsum
in dubium vocant, & contrarium ex numero-
sis piscium cadaueribus, aquis ipsis superna-
tantibus probant: Quod quidem ex Jul. Ob-
sequ. de Prodig. Fortun. Fidelis lib. 1. de Rela-
tion. Medic. pro prodigio habendum putat;
nobiscum tamen haut raro contingere, & to-
tas piscinas emortuas esse meminimus. Alii
pro salvanda Philosophi sententia, eundem de
Pisci-

Piscibus marinis exaudiendum esse adferunt,
ubi aqua ob salsedinem suam putrescere ne-
quit. Quamvis nec pisces marinos a malis
istis immunes esse Maronis autoritas recla-
met: Ille enim pestem immanem, qua cum
cæteris animantibus pisces quoque perierint
3. Georgic. descripturus, ita eleganter canit:

Jam maris immensi prolem, & genus omne
Natantum

Littore in extremo, ceu naufraga corpora,
portus

Proruit, insolita fugiunt in flumina phoca.

Nec abludit Lucret. lib. 6. d. R. N.

Hæc igitur subito clades nova pestilitasq,
Aut in aquas cadit, aut fruges peredit
in ipsas.

Et allegatus Fidelis refert, ad insulam Lipa-
ram aliquando magnam vim piscium ex ani-
mem ejectam fuisse, & Liparenses ex eorum
esui in pestem incidisse. Nos de veritate hujus
sententia uti impræsentiarum non disputabi-
mus, sic nec primam pro ejusdem adfertione al-
legatam rationem causis Physicis conformem,
multis citari legimus, moti tum autorita-

te Galeni 6. de usu part. c. 9. ut & Plinii lib. 9. c. 7. tam palmaria hac ratione, quod nec animalia natantia sine spiritu vivere queant. Quod quatenus doctrinis physicis Aristotelicis congruat, videbimus in conflictu.

II.

Quemadmodum referentibus Historicis Pests quibusdam regionibus atque urbibus plane familiaris esse solet, ut de Constantino- poli, & universa Aegypto, imprimis vero Cayro, testatur Jo. Leon. in Syria sua part. 8. Et Delphenses Civitates singulis decenniis peste corripitur memorat Forestus lib. 6. observ. 9. Eamque Parisiis, Colonia Famaugusta Vene- tiis, in Cypro & Ancona in Italia frequentis- simam esse adserit Scaliger contra Cardan. lib. 1. Ex. 32. Ita econtra certis in locis plane inauditam esse legimus, ut de Locris & Cro- tone testatur Plinius lib. 2. c. 96. & de Cale- cutha Cardan. lib. 10. de Subtil. Ac Alcmariam patriam suam pesti non esse obnoxiam recitat Forestus supra c. 6. Id uti coeli beneficio, & aëris salubritati partim: ita partim putre- dini locorum, pravae victus rationi, annonae, caritati, terra frequentibus hiatibus, adscri- ben-

bendum non absurde judicant, qui mutationes rerum naturalium, earumque causas intelligunt. Cum primis vero memorabile est, quod de Ægypto Helmontius in Tumulo Pestis refert, quod quamvis ibidem Pestis familiarissima sit, quotannis tamen pridie inundationis Nili, Ros singularis, quem Thalo vel Eltholim vocitant, cælo decidat, cujus adventum non solum peste laborantes subito & universaliter sanantur, sed & reliqui ab eadem præserventur. Cui quid veri subsit, quærenti etiam ex Scientiæ naturalis principiis respondebimus.

III.

An vespillones ledantur à corporibus peste mortuis, dubitant aliqui; aut, si id eveniat, fieri ajunt, quia illa corpora prius fuerint morbo illo infecta, qui semel expulsus non redeat. Quæ vera an falsa sint, Medicorum experientiæ optime judicant, sic causa prioris; quod nempe non facile ledantur dicti homines, cadavera tractantes ac sepelientes, ex trito illo doctore reddi posse videtur: Consuetudo est altera natura. Neque enim ab adsuetis facile passionem & alterationem fieri

ri experimur. Cui porrò adcedit animus e-
jusmodi hominum presens, & nullum pericu-
lum exhorrescens: cum pavorem constet mul-
torum malorum in corpore causam esse.

IV.

Helmontius in Physica sua inaudita Tu-
mulum Pesti exstruere intendit. Quod an fe-
cerit, uti peritiores Medici optime judica-
bunt, sic fundamenta, quæ sententiis suis plu-
ribus substernit, cordatior Philosophus au-
diens, non injuria forte dixerit, loco lapidum
ipsum adhibuisse enigmata, loco calcis vero &
cœmenti nugas & deliria.

V.

Unde Athan. Kircherus & alii probabunt
putredinem, ex qua pestilentia & alii morbi
putridi, in scholis medicis sic dicti, nasci tra-
duntur, animatam esse seu constare ex pluri-
mis exiguis vermiculis. An ex smicroscopis?
Fallunt & falluntur.



7.
Aristoteli & Aristotelicis nonnullis Ethica est prior Politica pars, quae nil nisi explicationem definitionis S. B. contineat.

2. Aliqui vero Ethicam tanquam specie diversam disciplinam à Politica sejungunt, cum felicitas humana à civili societate non nisi per accidens dependeat, utpote quam detur assequi non quidem extra omnem societatem, citra tamen societatem civilem. Et ab his definitur Ethica per scientiam de prudentia morali.

3. Objectum materiale est homo in agendo consideratus, sive actio humana; formale est S. Bonum seu quatenus felicitatis causa est.

4. Finis generalis est actio, specialis vero est S. Bonum.

5. Media, quae ad finem hunc ducunt, sunt virtutes tam morales, quam intellectuales.

6. Tribus partibus videtur absolvi posse haec philosophia, notitia finis, objecti, & mediorum, quas nonnulli exprimunt per εὐδαιμονολογίαν, ψυχολογίαν & αἰθολογίαν. Aliqui tamen & ultimam pro partibus tantum assumant.

7. Fr. Baco eam in duas principales partes partitur, alteram de exemplari seu imagine boni, alteram de regimine & cultum animi, quam Georgica animi appellat. Illa naturam boni describit: hac regulas de animo ad illa confirmando praescribit.

8. Methodus quae communiter adhibetur est Analytica.

9. Dantur etiam in moralibus demonstrationes, quamvis sint mollioris brachii, ceu Giphanius & Scherbius eas vocant. Hinc auditor πεπαιδευμένος à Doctore moralium non requiret subtilitatem mathematicam, sed quam materia fert.

10. Ethicae ἀρχαὶ sunt συνήθειαι seu notitia & firma primorum principiorum moralium comprehensio, sensus & experientia ratiocinatio, quibus addi potest hominum prudentum consensus.

11.

835

11. Idoneus moralium auditor non est qui aetate & moribus est juvenis: caret enim experientia & in actionibus affectus sequitur.

12. Veterum quorundam Philosophia practica non in universum sed per partes tantum de moribus tractavit & γυνώσκειν solas h. e. breves & argutas sententias, ad vitam instituendam accommodatas, protulit, rerum potius quam methodi studiosa.

13. Gnomologiam seu Paræneticam secuta est Ethologia seu dogmatica h. e. exquisitior de moribus consideratio, ex causis suis deducta & praeceptis certis methodice comprehensa.

14. In hac Pythagorai primi excelluerunt quidem, sed scholae reservarunt. Socrates & Plato è tenebris in lucem, è cælo in terras deduxerunt. Dein Aristoteles rem totam admirabili methodo examinavit, correxit, excoluit.

15. Præter has duas docendi rationes, datur etiam Characteristica, in qua Theophrastus, Paradigmatica, in qua Plutarchus, Val. Maximus &c. Mythica in qua Poëta nonnulli excelluerunt.

16. Falsum est quod B. d. Spinoza vult, Philosophos plerumque pro Ethica Satyræ scripsisse, & nunquam Politicam concepisse, quæ potuit ad usum revocari, sed pro chimæra haberi, quæ vel in Utopia, vel in aureo illo Poëtarum seculo, ubi sc. minime necesse erat, institui potuisset.

L. I.


17. Aristoteles Ethicos libros ad Nicomachum inchoat à fine.

18. Cum omnis actio sit propter finem, qui est bonum quid vel re ipsa vel certe opinione, plures vero dentur fines, ubi semper unus est propter alium, qui si is est cujus gratia reliqui omnes expensuntur erit maxime talis id est ultimus, qui in moralibus dicitur S. Bonum.

19. Talis finis ultimus in vita practica si non daretur, in infinitum fieret progressus & appetitus noster omnis inanis esset: Infinitum enim nunquam assequeremur, nos qui finiti sumus, & hominis stulti esset infinitum appetere.

20. In S. Boni nomine tam plebeji quam prudentes conveniunt, de re ipsa autem maxima dantur sententiarum divortia.






Juca, Diss., 1680 N-2

ULB Halle

3


005 360 684




TA → OC

WDA







B.I.G.

Farbkarte #13

Pub. 12. num. 31.

28. 7

MA-
TUS

1680, 37

PESTIS

LITICA

Philosophicæ

ultu,

Schmidt/

juncto.
M. DC. LXXX.



POSNER

ofus.

ERIANIS.

835

